

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1855

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

3129

LITURGICI.

3130

aurati *Genevieve*, *Vincent*, *Nicholas*, *Eloy*, *Louys*, *Leu*, id est Lupus Ep. Senonens. *Denis*, *Juo*, *Clement*; unde in *Gallia* adornatum *Codicem* credibile est. IV. Evangelia, Preces ad Deiparam, Horae de Ea peculiare, item peculiare de Passione Christi, quas nullibi videre me memini, quibusque subscriptum: *Johannes paruj*, non certe Theologus ille *Johannis Burgundici* ἀπολογητής, sed, ut puto, Scriptor Libri; Psalmi *de Poenitentia* cum Litanis SS. Horae consuetae de Passione Christi, et de S. Spiritu, Officium Mortuorum, *les XV. Joyes* et *les VII. Requestes*, Missae de S. Spiritu, de Cruce, de Beata, pro Defunctis, cum Commemorationibus multorum Coelitem, quorum dignoscendis *Adtributis* opportuna sunt Iunculae marginem exornantes. In *Codicis* ἐγγυδιωκτην inquirenti offert se fol. 196. Pica lemniscum rostro tenens, cui inscriptum: *Raugraue*. Igitur ad Stirpem hanc Comitum, etiam *Asperorum* et *Hirsutorum* dictorum, in *Leodiensi* ditione superstitum olim pertinuit.

DCCCXC.

953 Codex membraneus lat. gall. Sec. XV. Folior. 261. 4. maj. bene perscriptus, literis initiorum, et marginibus omnibus auro fulgidis, floribus, animalibus, et praecipue animalium monstris pene in infinitum variis ornatus, praeterea XIX. picturis sacris grandis *Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

bus magnificus *Horarium* est ad regiam *Franciae* Domum olim pertinens, ut ex ornatu caeruleo liliis aureis consperso quibusdam locis conspicuo argui posse videtur. *Calendarium* praevium sermone gallico exaratum *Maurum*, *Vincentium*, *Ivonem*, *Germanum*, *Eligium*, *Martinum*, *Ludovicum*, Reg. *Aegidium*, *Remigium*, *Dionysium*, *Marcellum*, *Genovesam* aureos habet. Orae illius praeter celeberrimum quovis mense Sanctorum icunculas, praeter Signa Zodiaci et Georgica pro duodenario numero exhibent totidem Prophetas, totidem Apostolos, illos textum quendam suum, hos articulum Symboli praeferentes, eodem modo *Paulum* aliquid e 12. Epistolis suis docentem, quorum in medio *Eccllesia*, et supra portam ejus *Matrona*, i. e. ipsa *Eccllesia* vexillum ostentans, in quo pictum mysterium singulis Symboli articulis contentum. Neque haec sine ingenio. Precum deinceps is ordo: Initia IV. Evangeliorum. Passio D. secundum *Johannem*. Horae B. M. V. secundum usum *eccllesie paris*. Horae per hebdomaden de Trinitate, pro Defunctis, de S. Spiritu, de OO. SS. de S. Sacramento, de Passione Christi, de B. Virgine, cui depictae inter alios Rex trabea caerulea auro liliata fol. 145. p. 2. adgeniculatur. Sequuntur Psalmi *de Poenitentia* cum Litanis, in quibus multi *Galliae* Indigetes invocantur, *Oratio sancti petri de lucembourg cardinalis*, qui obiit *Avenione* a.

R r

1387.

3131

C O D I C E S

3132

1387. in qua rhythmica *Apostolorum* postremus *Martialis*, *Le-movicensium* ille primus Episco-

pus medio demum Sec. III. *Roma* missus, ita adpellatur:

*Sancte dei marcialis munda me a cunctis malis.
Et possim placere Christo, in cuius conspectu sisto.*

Et tum reditur ad *Stephanum* Protomartyrem. Hinc succedunt *Les XV. ioies nostre dame*, et *Les V. plaies nostre seigneur* cum quibusdam Hymnis *gallicis* de Trinitate et Deipara. Officium denique Defunctorum *Codicem* magni pretii externi finit, quem, ut quid divinam, *Elisabeth Maximiliani II.* filia mortuo Marito *Carolo IX. Franciae* Rege *Viennam* redux penatibus *Austriacis* intulit. Adscribam, quod narrat *Job. Gans* in vernac. Gynecaeo *Austr.* vulgo *Oesterreichisches Frauenzimmer*, *Colon.* 1638. p. 288. 8. Orantis in quadam Ecclesia *Parisiensi Elisabethae* scabello a quodam Senecione ignoto impositum nec verbo dicto artificiosissimum Librum in forma 4. cumque Regina oculos in eum vellet intendere, Virum evanuisse. Statuat Lector.

DCCCXCI.

965 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 163. 4. nitide perscriptus, literis initialibus, et marginibus multis auro, picturaque variis, et insuper Iconibus grandibus vividis VI. speciosus *Horarium* est sequentia complexum: *Calendarium*, quod *Indigetes Belgii* multos miniatos, in-

signi vero etiam *Librarii* oscitantia *Michaelem apostolum* exhibet, *Onser lieuer vrouwen Getide*, *Getide van der ewiger wysheit*, *die lange cruus getide*, *die beilige geest getide*, *die seuen salme van penitencien* cum *Litaniis* OO. SS. pariter *Sanctis Belgicis* repletis, demum *die langhe vigelie der zielen*. Icon I. fol. 14. p. 2. in limbo florido habet annum 1487. et literas *Sprinc*, nomen fortasse *Pictoris*. Fol. 68. in limbo simili *Angelus* Insignia argentea rubro fasciata ostentat, quae ex *Nobiliaire des Pays — Bas T. I. Lovan.* 1760. p. 311. *Stirpis du Forest* esse arguo, cui consonat, quod *Codici* praescriptum est: *Dit Boeck boort for Joost Willems S. van Forest*; cumque gliscentibus Seculo sequente per *Belgium* erroribus Libri ad *Sacra* pertinentes *Censoribus* submittendi essent, inferius adjicitur: *Niet voerboden int placet*, anno domini 1570. Ita attestatur *Fr. Nicolaus Coustelier Junij* 13. Silentio nolim praeterire *Foll.* 87. 130. et 163. adglutinatas *Icones* lineari tantum *pictura* eleganter admodum informatas, quarum ultima tamen coloribus induci coepit, quaeque omnibus potiores sunt, quas *Codex* censet.

DCCCXCII.